

^{1724, 2}
DISSE^RTAT^O IN^AUG^UR^ALIS
^{DE}
E P I L E P S I A

^{EX}
DEPRES^SSO CRANIO,

QUAM

DEO ADJUVANTE
EX DECRETO AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI

**PRO LOCO
PROFESSIONIS EXTRAORDINARIAE
IN MEDICINA**

PUBLICE HABEBIT,

P R A E S E S

**MATTHIAS ERNESTUS
BORETIUS, D.**

AULAE MEDICUS ET REG. SCIENT. SOCIET. SOD.

R E S P O N D E N T E

**JOHANNE GODOFREDO
ARNOLDT,**

IN AUDITORIO MAXIMO
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

ANNO MDCCXXIV. D.

MAJ.

REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.

uræ mæ
huc non
stitutione
constituere
et primæ
indævum
a certum
lege sed
dictum;
altra jus
ad Grot.

lyrium;
ura de-

interim
auf-
sobria



AUGUST
SERENISSIMO A
PRINCIPI A

FRIIDERICO
REGI B
MARGGRAVIO BRANDE
MERARIO ET ELECTOR
NEOCOMENSIS E

PRI
GELDRIA, MAGDEBURGI, C
NI, POMERANORUM, CASSUBIORU

BURGGRAVI
PRINCIPI HALBERSTAD
SVERINI, RACEB

COMITI HOHENZOLLERIAE, R
HOHENSTEINII, TECKLENBURGI, L
MARCHIONI VEHR

DYNASTAE RAVENSTEIN
LAUENBURGI, BUTOV
ETC. E

PATERAE PATRIAE OPTIMO INGENUARIAE
AUGUSTO

SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO
PRINCIPI ADO MINO

FRIDERICOWILHELMO

REGI BORUSSIAE

MARGGRAVIO BRANDENBURGICO S. R. I. ARCHI CA-
MERARIO ET ELECTORI SUPREMO ARAUSIONensi,
NEOCOMENSI ET VALANGINensi

PRINCIPI,
GELDRIA, MAGDEBURGI, CL Viae, JULIAE, MONTIUM, STETI-
NI, POMERANORUM, CASSUBIORUM VENEDORUM, ET MEGAPOLIS,

DUCI,
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII MINDAE, CAMINI, VANDALIAE,
SVERINI, RACEBURI, ET MEURSAE,
COMITI HOHENZOLLERIAE, RU PINI, MARCAE, RAVENSBERGAE,
HOHENSTEINII, TECKLENBURGI, LIN GAE, SVERINI, BURAE, ET LEERDAMI,
MARCHIONI VEHRAE ET VLissingae,

DYNASTAE RAVENSTEINII ROSTOCHII, STARGARDIAE,
LAUENBURGI, BUTOVIAE, ARLAIAE, AC BREDAE,
ETC. ETC.

PATRIAE



DISSERTATIO
DE
EPILEPSIA EX DE-
PRESSO CRANIO.

§. I.



Omo a prima origine, vermis est, non
absimilis illi, quem solers *Malpighius*
vidit in ovo incubato, constans solo
capite & carina. Id quod *Antonius
Leeuwenhoek & Illustris Frid. Ruysschius*
observarunt. Enim vero cum in una
gutta seminis, multi vermiculi, o-
mnem sensum fugientes, exacto ta-
men microscopio facile deprehenduntur, patet hominem a
primo suo ortu aliis vix constare quam fluidis, &, ea coer-
centibus vasculis; ita tamen, ut reliquae partes omnes in
his contineantur, non aliter, ac in gemma, tota arbor.
Rem totam accuratius concipies, si sumas tempore op-
portuno sperma ranarum, ipsum remixtum in vase vitro
ad solem detineas, & sedulus notes, quid omni die eveni-
at? Quemadmodum enim hic ex tuberibus quatuor, pe-
des, ita homini artus prodeunt; Et qua ratione ibi reli-
quae partes omnes evolvuntur: Ita hic omnia fieri existi-

A

mes.

EPILEPSIA

2

mes. Adeo, ut pro figmento inani reputaveris singula, quae de Ranis Americanis non scribuntur saltem, sed elegantissimis figuris delineantur; utsiote & analogiae & autopsiae contraria. (4)

§. II.

Itaque multae parvitatis homo a matre suscepitus, calore fatus, evolvitur ac explicatur, ita tamen, ut quoad partes firmas singulas, membranae, carnem, ossa, cranium, non sit, nisi contextus vasorum minimorum, id quod Anatome Embryonum & artificiosa injectio monstrant.

§. III.

Linquo libenter omne id, quod nobis *Caro* audit, cum omnibus ejus integumentis, saltem, ut ad scopum proprius accedam, de Ossibus verba faciam, utsiote Corporis nostri fulcimentis. Haec *Clopton Hawers*, Anglus, primus & fere perfecte descripsit. Consideravit ille os homogeneum, quod nec Apophyses nec Epiphyses habet, videntque illud constare ex plurimis lamellis, quae in cylindraceam figuram contortae, & sibi impositae, cylindrum unum faciunt. Animadvertis praeterea lamellas has omnes ita sibi appositae esse, ut inter singulas duas haereat membrana quae vasa arteriosa & venosa sustinet. Hunc in si-

nem

(4) Vid. pecul. Tractat. super hanc rem *Alberti Sebae Amstelodamensis*, qui est additamentum libri *Merian* in fol. ubi assertur, Ranas Americanas pedes retrotrahere in corpus, tumque degenerare in pisces.

nem os injectione tam artificiose præparavit, ut disiectum tam transverse, quam per longitudinem, in omni puncto, liquore injecto scateret.

§. IV.

Ista §. 3. dicta, quadrant apprime ad Cranium. Hoc enim in prima origine ex ramis minutis arteriarum durae matris producitur, qui aliis occurrentes plexus subtilissimos constituant; dum interea rami alii Carotidis externae, integumentis Cranii externis, ut & Cranio ipsi propisciunt; atque sic decurrido dant vasa lateralia, quae rursus aliis occurrentia, plexus alios formant; Hinc in Craniis Embryonum, quasi stratum supra stratum membranarum tenuissimarum conspicitur, quae per durae matris ut & reliquarum arteriarum pulsum ad invicem coguntur, lamellas formant, in quarum medio remanet plexus vasculosus; sed ex eadem causa numerus lamellarum sensim evanescit, donec in adultis craniis, unum solidum os appareat, ex duabus tabulis constans & in medio suis *diplocen* habens, quae est congeries cellularum, medullam gerentium, oriturque ex vasibus lateribus utriusque tabulae Cranii, recta via huc tendentibus, non alio modo ac Carotis interna ad solum Cerebrum recta via pertingit,

§. V.

Ex hac Crani Physiologica Analyſi, patebunt multi morbi, ipsi accidentes. Ex laesa enim per externam vim tabula ejus exteriori, lamella mox subjacens comprimitur; intermedia membrana vasculosa quoque; hinc accidit morbus mollibus partibus similis; *Vulnus, inflamatio;*

EPILEPSIA

matio; & si humor vasculosus exeat, putreficit, lamellae superioris elevatio: si idem lamellae subjacenti, tertiae, quartae, &c. ad Diploen usque contingat, earum *Exfoliatio*, quae male Caries quibusdam audit. Laesa *Diploe*, laeditur tabula utraque Cranii in sua flexibilitate; ex arescit; sequitur caries *diploes*, & *Exfoliatio* tabularum. Pinguedo enim ibi secreta facit, ut partes terrestres firmiter cohaereant, quae secus ab invicem secedunt.

Quodsi laesio penetret ad Tabulam ejus vitream, fiunt omnia dicta, sed eo notabiliora, quo laesio Cerebro & medullae ejus propinquior.

Si Cranium laeditur ita, ut pars ejus intro prematur, seqvuntur pro varietate loci pressi, pro varia magnitudine, profunditate, hebetudines, sopores, vertigines, tinnitus, caligines, deliria, vomitus bilis, dolores capitis, convulsiones, paralyses, apoplexia, lotii faciemque spontanei exitus, epilepsia.

§. VI.

Est autem intropressio seu depresso Cranii, ista ejus conditio, qua per flexilitatem suam obstaculo externo cedit, absque fractura, fissura, aliisque.

§. VII.

Patet hinc homines huic morbo eo obnoxiores esse, quo nativitati suae sunt propinquiores. Adeoque infantes prae aliis. Vidi ego infantem decem septimanarum ex simbria linteaminis capitis, quam mater imprudens crassiuscule consecit, hacque caput ejus fortiter constringit totum convulsum; convulsio mox cessavit, linteamine, me jubente, amoto.

Non

EX DEPRESSO CRANIO.

xiv Non minus immunes sunt ab hoc malo Adolescentes, quippe hominis viventis Ossa decuplo flexiliora sunt, quam defuncti; in primis, si verberibus ruditer tractentur, aut per petulantiam contra solida corpora capite allidunt. Adultis vero, morbus hic non est proprius, quin potius fissurae, fracturae, contra fissurae iis contingant.

§. VIII.

Mitto jam morbos reliquos ex depresso Crano provenientes, & §. 5. notatos, dum mihi sufficiet dirissimi malii, Epilepsiae, ejusque naturae, phaenomenorum explicatio.

Quotiescumque homo subito prosternitur amissis sensibus externis, internisque, cum concursu violento, involuntario muscularum omnium vel aliquorum, reciproco, alterna cum requie, & novo paroxysmo, dicitur Epilepsia, ἀπὸ ταῦ ἐπιλαμβάνεσθαι, apprehendere, corripere, supervenire.

§. IX.

Ex hac data Morbi descriptione, differt Epilepsia à Convulsione, atrocitate & magnitudine symptomatum; a Spasmis, quod hic proprius non sit alterne repetens contractio muscularum, sed eorum rigiditas, sensibus adhuc intactis remanentibus.

§. X.

Ita autem scenam suam ludit: Antecedunt Capitis dolores, vel gravativi, vel simul aliquando vertiginosi; Cardialgia, & anxietates maxime praecordiorum, quas interdum

A 3

terdum ita increvisse scio, ut patientes auram trahere vix potuissent. Observantur homines praeterea solito tristiores; pallent eorum vultus, ut & extrema, quae plerumque simul frigent vel tremunt, in primis lingua; vel ab extremis auram veluti acrem frigidam in cerebrum versus elevari sentiunt. Nonnulli saepe de nullo, ante insultum, conqueruntur symptomate, nisi quod tristiores solito & ingenio & judicio obtusiores ac subinde non nihil, absque cephalalgia, vertiginosi existant. Quidam vero solummodo gravitatem Occipitis molestam; alii vero nil nisi visus quandam obscuritatem, scintillas oculis obversantes immediate ante insultum animadvertunt. Illi, qui malo hoc aliquoties laborarunt, saepe novos paroxysmos incurunt, quando amici dolorem suum aegrotis manifestant, aut flent, aut si cantus religiosos eosque affectuosos canunt.

§. XI.

Præsente paroxysmo, alii sensim, alii subito corrunt. Alii in gyrum aguntur aliquoties, antequam in terram concidant; Hinc Epilepsiae Rotatoriae nomen. Alii currunt velociter & subito cadunt, jam cum, jam absque alvinarum faecum, seminis, ac lotii excretione; alii terrae assident & corrunt. Quidam una cum paroxysmo vociferantur; unde, ex fräht wie ein Hahn. Fere omnibus pollices in pugnum imprimuntur. Concurrunt communiter oculorum linguae & labiorum torsiones, stridor dentium, & respiratio sonora, cum clamore saepius ingente. Item violentae artuum, immo totius saepe corporis jactationes & concussions, In quibusdum caput perpetuo agita-

EX DEPRESSO CRANIO.

agitatur, ut fortissime illud, ad sanguinis usque profusio-
nem, terrae allidant. In quo gravi insultu sensibus tam
internis quam externis pro tempore privantur, ita, ut vel-
lificationes, solutiones, inustiones licet profundiores, dolo-
resve ipsius partus haud percipiunt, omniumque actorum
plane immemores sint. Quid dicam? Morbus hic tam
mirabilis appetit aliquando, ut Diis, daemonibus, irae
Divinae, incantamentis, & similibus causis, naturalibus
majoribus, adscriptus saepè fuerit.

§. XII.

Saepe insultus hi horrendi post se relinquent sitim
vehementem, lasitudinem, languorem universi Corporis
ingentem, quia valde illorum corpora, partesquè illius pe-
ne omnes praeternaturaliter motae, horsum vorsum con-
tractae & convulsae fuere; dolorem omnium pene artu-
rum vulgo osfragum, ob vehementem membrorum con-
quassationem; non nulli de vigiliis nimis, insomnis ple-
rumque horrendis, memoria nonnihil & saepius valde
laesa, nec non de manuum pedumque, immo totius cor-
poris tremore, querelas fundunt; saepe de terrore quo-
dam subitaneo conqueruntur, quare levissima ex Causa
illico horrescunt,

§. XIII.

Inde ob saevitiam symptomatum & Curationis dice-
batur olim *Morbus Comitialis*, quod concidente Epileptico
Comitia mox solverentur. Vocabatur praeterea *Morbus*
Contagiosus, hinc eo correptos rus ablegabant, ne familias

aut

1. 1121 0128 010015 1111

EPILEPSIA

aut alios inficerent teste Apulejo. (*) Nominabatur Morbus *Herculeus*, ob atrocitatem & magnitudinem teste *Galeo*, & quod Herculeo labore opus sit ad eum debellandum. Itidem Morbus facer audiebat, ob eandem causam, magnitudinem scilicet. Apud Poetam enim sacrum idem est quod magnum, quemadmodum apud Virgilium: (**) *Auri sacra fames*; aut quod ab irato & sacro Jove immissum malum crediderit veneranda Antiquitas; Aut quod Caput, Veteribus partem sacram, invadat, causamve ejus, utpote penitus ignorantes, Τὸ Σέιον vocaverint, teste Hippocrate (***) Dicebatur infuper morbus *Caducus* ob lapsum subitaneum; *Lunaticus*, quod saepius circa Lunae phases ingravescat; *Puerilis* denique, quod huic aetati inprimis infestus sit & familiaris.

S. XIV.

Causa phaenomenorum §§. 10, 11, 12. in nostro Casu est *Depresio Crani*. Ratio vero Effectuum physica haec est. Cranio intropresso, premitur dura & pia Mater, Cortex Cerebri, ejusque Medulla, Nervorum Origo. Hinc praecile in hac parte Cerebri, in qua premitur, formes semper haeret, qui a causa quadam physica, eaque minima, in actum deductus, nervos afficiendo suum fortitur effectum. Et initio vertiginem, sensum aurac frigidae, scintillarum in oculis, paralysin, apoplexiā, ex compressio Cerebro oriri, probant Experimenta Virorum Wepfēri

(*) *Apologiarum l.*

(**) libr. 3. *Aeneid.*

(***) libr. de morbo sacro text. 1.

feri & Pejeri in Canibus facta; ut & illud recens Lutetiae Parisiorum observatum: Fuit ibi homo stipem ostiatim petens, cui magna pars bregmatis casu ablata erat. Huic si Cerebrum paululum premebatur, dicebat sibi scintillas ex oculis egredi; ad paulo fortiorem compressionem, dicebat se tinnitus Aurium percipere. Post observabatur vertigine; tunc sopore corripi; Postremo cecidit Apoplecticus; Ubi vero sibi ipsi relinquebatur, & pressio remittebatur, sensim restitutus cernebatur. Id quod quilibet quovis tempore experiri poterit, si ad Consilium Wepfferi, Cani vivo, cerebrum denudet, istudque successivè premat leviter.

Ast motus Epilepticos ita physice concipies, si cogites, partem Cerebri in aliquo ejus loco, compressam, reliquam omnem in conditione vigiliarum, seu, quod idem est, liberam, ita ut spiritus in tanto majori copia per aliqua loca fluat. Sed simul admittas oportet, medullam oblongatam esse Originem nervorum, esseque canales infinite parvos, tamen pervios, per quos fluunt *spiritus*, quos *corpora impenetrabilia facientia*, dixit Hippocrates: Ut & illud, quod solerti indagatione observarunt Celeberrimi Viri WILLIUS & VIEUSSENIUS, nervos quosdam ex theca vertebrarum retrogredi in Cranium, ut se jungant nervis cerebri & cerebelli. Ita enim omnes motus, quos in Epilepsia miraris, facile explicabis. Medullam autem oblongatam non esse nisi congeriem canaliculorum infinite parvorum demonstravit Anatomicæ scientiæ hoc seculo facile Princeps, Clariss. FRIDERICUS RUYSCHIUS, Professor Amstelodamensis, dum enim ille portiunculam medullæ, granum sabinum haud excedentem assumit, eamque in aqua tepida reposuit,

B

nit,

nit, tum illa putrefacta & in aqua agitata, in centenos floculos dissilit, microscopio conspiciendos. Porro assumit fibrillam nervi, nonnisi ad illapsum solis conspicuam, hanc capillo suspendit, & arte sua ita præparat, ut stupenda certa ratione in plurimos floculos dissiliat, halitu evanescentes.

Sed canales hos pro fibrillis haud perviis existimaveris, nisi asserti veritatem evinceret Celeberrimus, multisque mihi titulis colendus HERMANNUS BOERHAAVE, Professor Lugdunensis Clarissimus. Lege ac relege ipsius verba in Institutionibus Medicis à §. 274. ad 289. Certe rei parvitas fecit, ut ridicula appareat veritatis simplicitas. Sed qui Anatomen callet, omnia facilime comprehendit.

Verum dices I. Nullus oculus, nullum microscopium præsentiam spirituum docet. & Hoc magis meam sententiam firmat. Fieri non potest, ut crasso sensu hæc subtilissima corpora patere possint; Si enim acutissimam visus aciem non refugerent, non essent spiritus, & tunc plane convicti essemus, nos male asserere eos spiritus esse; non quidem sensu *Metaphysico*, sed longis abhinc annis recepto *Meduo*. Non vero inde statim neganda præsentia eorum, quam oculo assequi nequimus. In hoc musæo, ubi nunc sum, nec aerem, nec aquam conspicio, quis tamen audacter pronunciabit? Ergo nec aer nec aqua adest. Constat enim, adhuc plura corpora aeri inhærere heterogenea plane.

II. Inquieris: Ligatura injecta nervo, inter cerebrum & ligaturam eum intumescere debere. & Quilibet nervus bene nudatus & dein ligatus aut intumescit aut non. Si timeris, argumentum hoc contra nos non militat; Sin minus,

con-

confirmat potius sententiam nostram, quam destruit; indicat enim, ne quidem vasa sanguifera, serifera, lymphatica, quæ quemlibet nervum ambiunt, semperque & simul cum nervo ligantur, turgere. An idcirco illa non adsunt liquidumque non ferunt, ad quorum præsentiam demonstrandam certissima nobis suppetunt argumenta? Cum ergo nec ab illis longe crassioribus, quando motus illorum sufflaminatur, turgescientia fit, longe minus hæc à spiritibus expectanda erit. Botanici docent, ingentem liquidi copiam continuo per pedunculum adscendere ad Cucurbitam Italicanam, *Pepo major falcata forma I. B.* dictam. Verum inter ligaturam pedunculo injectam, & terram, pedunculum minime intumescere. Quando cucurbita recenter abscissa ponderatur, & post 24. horas ad lancem revocatur, multum ponderis amisisse observatur. Sed quod, dum terræ adhuc adhæret, æque ponderosa maneat, ac ante, non obstante ligatura, ratio hæc est: è terra tantum liquoris iterum accipit, quantum amittit. Ergo pedunculus licet non intumescat, humorem tamen non transmittit. Arbor plurimas libras succi sursum vehit, quas è terra recipit; ligata tamen nullum tumorem exhibet. Chirurgus dum venæ sectionem instituit, brachium ligat, tunc quidem venæ majores non vero minores, id est ultimæ, intumescunt. Plurimæ adhuc adsunt argumentum hoc confirmantia, sed omnia hic recensere velle, præsentis non est instituti. Ex superfluo tamen illud stabiliunt: Corporis nostri in origine, progressu, operationibus, excretionibusque, ratio; insectorum fabrica; ea, quæ manifestissime accident plantis.

§. XV.

Adsum vero præter causam §. 14. Causæ aliæ plurimæ, Epilepsiam producentes, quas singulas, ordine decenti, ex Observatione propria & aliorum, accurate collegit, laudatus Clariss. D. HERM. BOERHAAVE, * dum apud alios sparsim solummodo, nec, qua decet, attentione recensitas invenies.

§. XVI.

Prognoses quoque, pro diversitate Causæ, institues. In nostro casu, non est, qui metuas; prudenti enim manu Chirurgi, morbus, licet horrendis Symptomatibus prædictus, intra aliquot dies curabitur, nisi forte cum intropresso Cranio, simul spinas ejus advertas, quæ perforando duram & piæ matrem, ipsum cerebrum ejusque medullam, Cerebrum inflammatione, suppuratione, gangræna, fungo, hæmorrhagia, corrumpunt; unde hebetudines, sopores, vertigines, tinnitus, caligines, deliria, vomitus bilis, dolores capitis, convulsiones, paralyses &c. producuntur. Atque tum pro diversitate circumstantiarum, mali eventus judicabis.

§. XVII.

Liquet insimul, non unam esse Epilepsiarum §. 15. euram, adeo, ut inanis sit specificorum in Epilepsia jactatio. Ille vero solus morbum curabit, qui ejus causas cognoscit; nosse enim causam morbi, est nosse arcanum. Et in casu depressionis cranii, sola ejus Elevatio feliciter curat. Reliqua, quæ ægrotō propinuantur, dantur Symptomatum miti-

* Conf. Ejus Aphorism. de cognoscendis & curandis morbis
§. 1075.

mitigationis ergo, Elevatio depresso cranii fit solo dropa-
ce applicato præcise in ea parte; ubi est depresso. Co-
gnoscitur locus applicationis ex sollicita pervestigatione ca-
pitis, derafis capillis; quam adjuvant fovea cranio impres-
sa; dolor capitinis præcise in uno loco; dolor punctionis ca-
pitis ex morfu nucis juglandis, aut alias corporis duri. Lo-
co depressionis cognito, Emplastrum ex pice, aliquando
colophonia remixta, in medio sui ansam habens ex filo tri-
plicato, forti, pro diversitate depressionis & cranii imponi-
tur; Emplastrum per sesquidiem applicatum manet; tum
adveniens Chirurgus ansam trahit sursum, vel sola manu,
vel bacillo ferreo inter duplicaturam ante immisso. Ansa
sursum tracta, trahitur Emplastrum, & quia integumentis
capitis fortiter adhaeret, sequuntur illud cutis, musculi &
cranium. Succedit Curatio aliquando simplici vice, ali-
quando Emplastrum bis, ter, aut quater est repetendum,
donec plenaria Cranii elevatio eveniat. Adultos, quibus
raro depressione sola accidit, sed juncta potius cum spinis, fis-
tulis, cranii Trepanatio juvat. Quæ, quid sit? & quomodo
instituatur, ex Chirurgiæ libris petendum.

§. XVIII.

Atque ita rem bis mihi per DEi gratiam in praxi mea
successisse, gaudeo.

Est in suburbio nostro puella nondum 10. annor.,
quæ ante tempus aliquod, dum apud amicos cum aliis pueris
luderet, spectrum horrendum se vidisse credidit, quo per-
territa valde clamare, angustari coepit, ita ut semimortua
domum matris sue reportaretur. Paulo perhibuit se idem
spectrum vidisse sub concione sacra in templo supra caput

Verbi divini Ministri, quo aliquoties perterrita, ædes sacras frequentare amplius non potuit. Sed idem spectrum posthac aliquando domi matris ipsi apparuisse perhibuit, atque vocatae matri digito monstravit, quæ vero nunquam aliquid vidisse fassa est. Interea conquesta est aliquoties de doloribus capitis & caligine oculorum, itemque de lassitudine corporis. Posthac drepente corripiebatur angustiis maximis cardialgicis & spasmis ventriculi, ita ut auram trahere vix potuerit. Mox sequebantur horrendi motus Epileptici multis vicibus per diem miseram invadentes. Qui haud raro recurrerunt, quando mater de apparitionibus à puella visis erga adstantes verba fecit. Vulgus, superstitione, mira fingebat, totumque morbum à Satana prove- nisse putabat, hinc nesciens, quoniam titulo morbum insigiret, eam obsessam à Dæmone censebat. In qua opinione firmabatur admodum, postquam audivisset, puellam post cantus sacros affectuosos, itemque invocationes de JESU Christo, novos soepe incurrisse paroxysmos. Post multas adhortationes & remonstrationes severas à Venerando Verbi divini Ministro factas, dixit puella, sibi videri totum domicilium stellis fulgidissimis illuminatum, dum insimul matri adstanti hostem suum, spectrum horrendum, digito monstrat, in persona mediocris staturæ, sed lucida veste induita, prehensum; nuncque humiliatum. Mater respondet, fe nil horum videre. Interim paroxysmos novos quotidie patiebatur. Inter tot angustias accessit me amicus, rogans, ut miseram aliquando invilerem, quidve rei insit? explorarem. Vix domicilium intravi, & statim horrendis insultibus corripiebatur misera, mox cardialgicis,

mox

EX DEPRESSO CRANIO.

15

mox epilepticis, iisque dirissimis. Ego rei causam nondum agnoscens, præscripsi statim antispasmodica, & illa, quæ contra hunc affectum specificè laudantur. Sed simul varia rogavi, donec ad quæstionem fateri cogeretur, scilicet inter lundum capite allidisse contra ferrum januæ infixum. Hinc advocate Chirurgo dexterrimo *Ottone Roscio*, caput perve-
stigavimus, derasis capillis sedulo, moxque somitem mali deteximus. Erat autem cranium depresso in sinistro of-
fe Bregmatris oblique, ad suturam versus sagittalem. Ap-
plicito dropace, elevatio cranii erat facta, sicque datis inte-
re remediis idoneis misera convaluit perfecte.

Sed morbo cessante, cessarunt insimul beneficia Pa-
tronorum; Cum ergo *egeſus fit ingenioſa*, Feriaeque Natali-
tiorum Christi adventarent, quibus homines, ad misericor-
diam commoti, liberaliores solito esse deprehenduntur,
puellam de novo, insultibus Epilepticis, correptam audivi.
Ego adveniens, malitiam matris protinus sensi, moxque
abii, quæstum politicum agenti permittens. Dominica I.
post Epiphanias inter praündendum rogat mater per episto-
lam, ut venirem, videremq; miseram filiam, tantis enim pa-
roxyſmis infestatam ait, quantis ante correpta nunquam
fuerat. Conqueritur præterea de hemiplexia sinistri late-
ris totius, cum paralysi lingvæ, quo malo nunquam affe-
ctam fuisse filiam scribit. Rogatus accessi ante concio-
nem postmeridianam, & quidem citius, ac sperabat mater
nequam. Vidi filiam decumbentem, & ex linteo lato, ru-
bro, propendens brachium dextrum. Ita enim homines
sub concione venientes ad beneficiendum commovere pu-
tarunt. Quæſii, quid jam cum brachio dextro? cum istud
fanum,

fanum, sinistrum vero affectum per literas nunciaverit. Nullo responso dato, auferre linteum, brachiumque sinistrum movere jussi. Puella perterrita, quid faciat? nescit; tandem movet brachium sinistrum, itidemque pedem. Sed ut loquatur, volui; puella aliquot verba, quae non intellexi, protulit; & Chirurgus adstans, de facinoribus sceleratis probe gñarus, joci gratia dixit: Domine, loquitur Anglice. Mox vero, timore inducto, articulate omnia pronunciavit. Advertens ego malitiam hominum, Trepanationem crastina die instituendam Chirurgo intimavi, non quidem serio, nulla enim aderat causa, sed ut terrore inducto à sceleribus desisterent mater & filia. Mater singula percipiens, flet, rogat, ut Operatio differatur. Respondi, alia via nos incedere vix posse, tamen, ut sumeret, jussi, versus noctem pulverem, & alterum crastino mane, Cardiacum. Erat autem pulvis alter digestivus, alter vomitus creans. Die sequenti post undecimam adii puellam, Chirurgus quoque cum suis ministris. Intrantibus nobis conquesta est mater de Cardiacis; vomuisse enim filiam aliquoties dixit. Respondi, nec sic male; exiisse enim ita malum spiritum penitus, confidat. Chirurgus interim scatulam aperit, instrumentaque ad Trepanationem apta ostendit. Mater perterrita flet, summisque precibus contendit, ut operatio adhuc differatur usque crastinum diem. Nos vero persistimus; tandem, quia omnia articulata voce proferebat, nec de ullo symptomate querebatur, petitioni damus locum. Chirurgus interim thecam cum instrumentis ex opposito leti reponit contra oculos puellæ. Sequenti die veneramus ambo, videndi ergo quid contingeret? Et statim ad accessum

sum

sum nostrum mater pro praestitis officiis nobis gratias pluri-
mas agit ; neque enim insultus Epilepticos ullos, neque pa-
raly sin lingvæ , neque hæmiplexiam se observasse amplius,
ait, quin potius, filiam reconvaluisté penitus, autumat. Et
ab hoc tempore salva mansit, ad hunc usque diem , & qui-
dem ex meū Trepansionis.

S. XIX.

Casus alter: Est in platea , die Rittel-Gasse, adolescens
17. annorum , Memelensis, qui à Praeceptore in domo Pa-
rentis sui, verberibus multis tractatus, in Epilepsiam inci-
dit. Misso Regiomontum, ut curaretur, data sunt plurima
remedia, ast in cassum omnia. Ego vocor , dumque ab
amicis de omnibus certior eram factus, advocate Chirurgo
dextrimo N. Schrädero , nuces juglandes, morsu disfrin-
gendas jussi, & statim de doloribus capitis conquerebatur
adolescens. Per vestigantes seduli cranium , deprehendi-
mus foveam per baculum forte illatam, qua, dropace ali-
quoties applicito, elevata, ab omni insultu liber
hucusque vivit.



C

MEDI-

MEDITATIONES PHILOSOPHICÆ RESPONDENTIS.

Systemata mundorum sunt innumera, ast unum saltem universum.

Et hoc universum nullos habere terminos, contra omnes Werenfelsii (in Disp. de finibus mundi) objectiones ita demonstro: Omne quod existit, pertinet ad universum: Ergo extra universum nihil est; Extra quod vero nihil est, illud non habet terminos; Ergo universum non habet terminos. q. e. d.

Universum illud innumeritas habuit & habebit mutationes, nunquam vero esse desinet, nec unquam esse incepit.

Qui Deum otiosum, i. e. sine mundo fingit, indignum Ente perfectissimo foveat conceptum.

Quo magis res in mundo coexistentes à se invicem differunt, eo major in mundo est nexus.

Qui nexus rerum universalem negat, rudem admodum imo nullum de mundo ejusque autore habet conceptum.

Si vel pilus muscæ ex mundo penitus tollatur, mundus non amplius foret idem.

Per naturam impossibile est, ut minima pulvisciuli particula in nihilum redigatur,

Mun-

Mundus non foret perfectus , si nullum in eo esset malum : Malum enim particulare ad bonum nexus universalis conducit, imo bonum non adeo bonum deprehenderetur, nisi malum aliquando ei opponeretur. Ergo in respectu ad nexus universalis nihil est malum,

Per se nihil bonum aut pulcrum est.

Quotuplici enim modo organa sensoria variare possunt , toties variat repræsentatio , toties conceptus.

Qui opticis studiis nimiam dat operam , corpora plurima pro phænomenis habet.

Difficile admodum est, Idealistam de realitate corporum convincere.

Recte Archimedes : Da locum extra terram , & terram ex loco movebo.

Multi Deum sapientem dicunt, & suis tamen dogmatibus sufficienter probant, se nullam sapientiae divinæ habere ideam.

Nunquam verum de Deo, mundo & seipso habebit conceptum , qui sensibus & imaginationi nimium indulget.

Animæ operationes quotidie observo , quid vero anima sit, ignoro.

Mille modis variabor , nunquam vero esse definitam.

Immortalis Leibnizio debetur laus, quod principium rationis sufficientis , testem divinæ sapientiæ in philosophiam introduxerit.

Nunquam satis deprædicari potest Metaphysicæ Wolffianæ in Theologia utilitas.

C 2

Hæc

Hæc Metaphysica unicuique, sedulà illam attentione perscrutanti, convenientem de Deo & mundo conceputam injungit.

Non tamen putandum est, ex hujus systematis lectione solà hunc gigni conceptum. Mera enim principia continet, quorum applicationem unusquisque quovis momento, dum sibi res per organa sensoria repræsentat, instituere potest, qui summo, quod cogitari potest, delectamento frui desiderat.

Qui veram Ethicam excolere, i. e. omne malum evitare vult, in omnibus actionibus suis statum politicum à naturali probè distingvat.

Omne malum ex affectibus hominum provenit.

Si unus saltem in terra nostra existeret homo, status naturalis esset possibilis.

In quoque Planeta homines affectibus sunt præditi, in illo status naturalis est impossibilis.

Ergo qui in præsenti terra nostra statum naturalem desiderat, impossibile quid optat.

Longe alia foret terræ nostræ facies, si res publica desisset, & hanc terræ faciem horis subcisis imaginari, theoretico voluptas est,

Experientia quotidiana edocemur, homini solidè eruditio impossibile ferè esse, ut se Reipublicæ in omnibus accommodet.

Hinc qui speculando & theoriam delectatur, nullum in Res publica officium ambiat, necesse est.

Quodsi verò illum necessitas urget ambiendi officium, se in statu naturali non vivere quovis momento reminiscatur,

tur, indefessamque Politicæ navet operam, firmiter per-
fivas, scientiam sine prudentiâ in Republica parum valere.

In tempore insipere summa sapientia est.

Vero Philosopho sèpissimè le affligendi ansa datur,
semper tamen est contentus.

Bonus Politicus omnes rerum eventus eodem vultu
intuetur, nec miratur, si casus contingent in mundo insoliti.

Male sibi prospiciunt, qui ingentem hominum nume-
rum fidum atque sincerum credunt.

Pessimè agunt, qui ad aliorum actiones attendentes,
seipso intueri obliviscuntur.

At incomparabili delectamento fruitur is, qui seipsum
probè noscens affectusque reprimens, innumeras stultitias,
quas perversi homines quovis momento suscipiunt, dili-
gentius observat.

Plurimæ, quas vulgus ad Deum fundit, preces miracu-
lum à Deo desiderant.

Plurima mortaliū pars Deum magis ob potentiam
quam sapientiam veneratur.

Quo magis religio accommodata est Reipublicæ, cò
excellentior atque verior est.

Religio Christiana præ ceteris Reipublicæ accommo-
data est.

Homo educatione destitutus à bruto parum differet,

Nullus homo in societate minus prodest quam San-
gvineo-melancholicus.

Imperantium status est felicissimus.

Maximi studiorum defectus inde veniunt, quod pluri-
ma Juvenum pars librorum lectioni magis quam meditan-
do assuefiat.

Optime philosophabitur, qui dubitando philosophari incipit.

Qui Matheſin non tractarunt, plurimas probabilitates sine convictione pro veritatisbus assumunt.

Absque premissa Geometria vix verum convictionis conceptum acquires, licet Logicam per aliquot annos tractaveris.

Si in superioribus scholarum classibus, absolutis studiis humanioribus, Geometria doceretur, eruditio humana mirum in modum cresceret.

Qui absque Matheſi philosophiam solidè pertractare annititur, lapidem lavat.

Per quotidianas observationes edoceor, homines quo tardius Matheſin tractare incipiunt, eò difficilius illam apprehendere.

Imo dantur multi, qui, absolutis studiis philosophicis post plurimorum librorum lectionem ad Matheſin progressi, ne verbum ferè multo minus facilimam aliquam demonstrationem penetrare possunt.

Quæ hic subſit cauſa, diu ſum meditatus, tandem compri omnes, qui neglecta Matheſi studiis Philosophicis incumbunt, in id virtù prolabi, ut debita attentione non adhibita, ingentem librorum perlegant cumulum, principia non examinent, convictionem non quærant, meditationes, si quæ ſuboriantur, deprimant, ſicque loco ſolidæ eruditio, niſi inanem verborum cumulum acquirant.

Juvenes è contra ante, quam Philosophia imbuantur, ad Matheſin admissos facilitori illam addiscere operā, non miror. Iudicium namque ipsorum tenerum adhuc & ad percipiendas simpliciſſimas Geometriæ veritates flexible / ita

ita dicam) aliis sublimioribus veritatibus nondum debilitatum neque confusa lectione corruptum est. Hinc perspicuitati asservantur, attenti redduntur meditandoque tempus terentes sine suo defraudari nequeunt.

En igitur apertum studii Mathematici usum! Quod si nihil aliud, hoc tamen Mathesin efficere fateberis, ut judicium acuat, illud meditando asservat, & omnes res summa attentione pertractare doceat.

Methodus Mathematica iis solummodo videtur confusa, qui ad ea, quæ tractant, sedulò attendere non sunt aveti.

Ille demum vero Mathematum fruitur usu, qui in cultura illorum & in quavis operatione Algebraica ad intellectus operationes sedulò attendit.

Qui philosophiam accurati excolere vult, non nimirum temporis Mathesi dedicet, quia per eam imaginationi nimis indulget intellectus, & deinde Metaphysicis abstractionibus ineptus redditur.

Qui Mathesin non didicere, à lectione præstantissimæ Philosophiæ Wolfianæ abstineant.

Animo sciendi cupido historica cognitione forderet.

Indignum est viro eruditio, studio Astronomico haud sufficientem dedisse operam.

Quem enim absque hoc studio de mundo habemus conceptum, anilis plane est.

Philosophia mechanica est apex totius eruditionis humanae.

Hunc vero attigendi nulla superest spes, nisi sublimioribus Matheseos scientiis operam dederis.

Qui insignes in studiis facere vult progressus, hanc studio-

studiorum eligat methodum : In prima juventute lingvas, historiam, oratorium, poesin aliaq; humaniora apprehendat. In decimo septimo ætatis anno ad Academiam admissus Mathesin incipiat, eamque cum Logica conjunctam per 2. annorum spatum sedulo excolat. Hoc labore peracto Metaphysicis veritatibus per annum se instrui curet. Deinde Physices studio annum impendat. Post hæc regularum ethicarum atque politicarum theoriam imbibat, ast simul quoque hominum moratorum consortia, quæ antea, studiis theoreticis incumbens, diligenter visitare non potuit, sæpius quærat, & in his theoriam, quam didicit, applicare satagat. In hoc studio morali & politico detineat se, si conditio ejus permittit, 2. annos, (loquor potissimum de theoria moralis & politica, nam praxin per totum vitæ curriculum continuare debet) ast interim eo tempore exercitia corporis simul addiscat. Sic tandem, si ob pecuniæ defectum aliasve circumstantias aliud vitæ genus eligere opus habet, unis scientiarum facultati se addicat, & vel Theologiam, vel Jurisprudentiam, vel Medicinam, vel Philosophiam, quo quemque sua trahit voluptas, diligenter excolat, nec fane sine incremento Republicæ intererit.

Medicinam aut Physicam à priori demonstrare velle, inanis labor est.

Multum ad Medicinæ & Physices perfectionem conferret, si eruditæ speculationis loco experimenta crebro instituerent.

Maxime hoc in Medico requiritur, ut bonus Politicus sit.

Corpus humanum est machina.

SAPIENTI SAT!

Königsberg, Disc; 1720-39

ULB Halle
004 587 928




3

f

sb.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

1724, 2
13

DISSE^TRAT^O INAUG^URALIS
DE
EPILEPSIA
EX
DEPRESSO CRANIO,
QUAM
DEO ADJUVANTE
X DECRETO AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI
PRO LOCO
PROFESSIONIS EXTRAORDINARIAE
IN MEDICINA
PUBLIC^E HABEBIT,
PRAES^ES
MATTHIAS ERNESTUS
BORETIUS, D.
AULAE MEDICUS ET REG. SCIENT. SOCIET. SOD.
RESPONDENTE
JOHANNES GODOFREDO
ARNOLDT,
IN AUDITORIO MAXIMO
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
ANNO MDCCXXIV. D. MAJ^I.
REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.